Magnificentissimj

SPECTACVLI, A REGINA Regum Matre in hortis suburbanis editi,

In HENRICI Regis Poloniæ inuictissimi nuper renunciati gratulationem,

DESCRIPTIO.

Dorat

Io. Aurato Poeta Regio Autore.



PARISIIS.
Ex Officina Federici Morelli Typographi Regij.
M. D. LXXIII.



Seruantis populos, ciues seruantis & olim,
Si Iouis atque Ducis præmia Quercus erat:
Qui tot seruasti populos, vel pace vel armis,
Querna decent crines, CAROLE, *serta tuos.*

DIALOGVS AD NVMEROS MVSICOS ORLANDI.

Interloquuntur Gallia, Pax & Prosperitas.

GALLIA.

Vnde recens reditus Pax Prosperitásque Sorores?

PAX ET PROSPERITAS.

Mittimur à Superis Gallia chara tibi.

GALLIA.

Quæ vos caussa meas iussit noua visere gentes,
A quibus arma annos vos pepulere decem?

PAX ET PROSPERITAS.

Carolus & fratrum concordia fida duorum,
Et Catharina tribus fratribus alma parens.
Auctor Iustitiæ, Pietatis & ille colendæ
Carolus, & meritis notus ad astra suis.

GALLIA.

Lectus an Henricus Rex frater & inde Polonis?

PAX ET PROSPERITAS.

Henricus sua Rex ob pia facta nouus.
Quo duce semper læta fuit victoria Gallis,
Quo victor semper Rege Polonus erit.


GALL. PAX ET PROSP.

Carolus ô felix, felíxque Henricus, & ille
Franciscus, noua quem tertia regna manent.
Funiculus triplex, vis rumpi nescia, neuit
Aurea quem Parcis ex adamante colus.

AD LECTOREM.


Quæ Regi Henrico dederit ſpectacula mater,
Sceptra Polonorum poſt data ritè manu.
Gallica & Andegauis quæ Nymphæ verba loquantur,
Quæ ſociæ dederint munera quæque, leges.
Munera cuncta ſuis ad verum expreſſa figuris,
Atque emblematibus ſingula nota ſuis.
Omnia cognoſcet qui ludis abſuit illis,
Multa recognoſcet quiſquis & adfuerit.
Nunc ſpectator erit cui tunc ſpectare negatum eſt,
Nil turbam metuens, nilque ſatellitium.

IO. AVRATVS.



DE MAGNIFICENTISSIMO SPECTACVLO AB AVGVSTISSIMA Regina Regum matre exhibito inter suburbanas epulas, Regi Poloniæ, & Polonorum illustribus Legatis, apparatas,

ELEGIA.




Ecquis agris arces, palatia miscuit hortis?
Regia quis syluis atria pomiferis?
Vnde recens tectum virides subiere columnæ?
Vnde rudis sculptum sylua lacunar agit?
Non mortalis opus struit hæc monimenta laboris:
Numen inest aliquod, quod struit ista, locis.
Fallor? an hîc Nympha est hortis florentibus orta,
Semper & hinc flores, florida semper amat?
Non fallor, diua hîc CATHARINA parénsque Deorum,
Díua Deûm Cybele mater amica trium.
Primi, qui Jouis instar habens sua tela trisulca
CAROLVS, vt prima Juppiter arce sedet.
Cui nouus HENRICVS Rex ecce Polonius hæret,
Qualis Neptunus proximus vsque Joui.

Tertius & Reges est accessurus ad ambos
FRANCISCVS, cui sors tertia Ditis erit.
Nec Regina soror Juno tot fratribus vna:
Sed tamen ante alias MARGARIS vna nitet.
Quæ tot diua deos, diuas pepéritque sorores,
Hoc plus quàm humanæ condidit artis opus.
Struxit & antè locis miracula talia multis:
Dum celebrat thalamos, CAROLE none, tuos.
At nunc festa nouo præbens conuiuia Regi,
Quem Regem elegit Sarmatis ora sibi.
Sarmatis, inde quod est sata Marte vocata, sed æuo
Perdidit antiquum litera versa sonum.
Huius Martigenæ gentis venientibus vltrò
Legatis, Regi concelebránsque dapes,
Regia frondiferis cœnacula iussit in hortis
Vt fierent: subitum, nec mora, creuit opus.
Qualis inexpliciti non error erat Labyrinthi,
Sed qualis Peleî Pelion ad thalamos.
Huc quoque cum Superis totus migrauit Olympus,
Ipse locus si non alter Olympus erat.

MONTIS NYMPHARUM DESCRIPTIO.

Mons ibi quatuor in tabulata argentea ſurgens,
Sex & viginti creuit aduſque pedes.
Tenditur in ſpatium baſis huic pede latius vno,
Flectit & ad ſummum coclea curua gradus.
Culmen ineſt apici: ſunt per decliuia ſedes:
Quales Diis poliit Mulciber arte domos.
Octo, ſuntq́ decem ſedes, quaſi triplice nidi
Ordine, & à ſummo creſcit in ima modus.
Quot ſedes, totidem per quæque ſedilia Nymphæ,
Quæ totidem comites ſunt Catharina tuæ.
Quæ totidem tibi ſunt latiſsima Gallia gentes,
Qua ſpatium regni tenditur vſque tui.
Totus & argento, totus contextus, & auro,
Seu mons, ſeu rupes illa vocanda, micat.
Mille ſuper conchæ, reptantum mille figuræ:
Quas varius mira pinxit ab arte color.
Gallia ceu princeps ſedet alta cacumine ſummo,
Tota auro, & gemmis ſplendida tota ſuis.
Sed quid ego aſpicio portentum mobile montis?
Ambulat, & quò ſe Dux iubet, arte mouet.
Dux facit ad nutum parentia ſaxa moueri,
Ceu Dæmon aliquis, nomen & inde tenet.
Nunc procul hinc Thracis cantoris ficta faceſſat

Fabula: nam verus mons mouet ecce gradus.
Ambulat, & sua iam flectit vestigia rupes:
Iam Maiestatum os vertit ad ora suum.
Non vertit frustrà: sed cantatura videtur
Nescio quid summa Gallia rupe sedens.
Regum, Reginæq́; simul præconia dicet
Carmine: sit iam pax auribus, ecce canit.



NYMPHA GALLICA.

GALLIA ego en adsum Cælestûm maxima natu
Filia, cui Cæli tanta indulgentia fauit,
Ut non sit regio in terris, siue vbere glebæ,
Seu virtute virûm, quæ se mihi comparet vlla,
Quæ populis opibusq́ potens, tot in ordine Reges
Insignes pietate, insignes fortibus armis
Sorte tuli: Magnum Clodouæum qui sacra Christi
Instituit Gallis: Et te quoque nomine Magnum
Carole, labentis qui relligionis honores
Restituens, rerum rexisti primus habenas.
Hesperijs atque Arctois Rex gentibus idem.
Et nunc ecce iterum rerum diuisa potestas
Unicum in Imperium, fatis poscentibus vltrò,
Iam redit, vnius si non, per sceptra duorum,
Regem vnum quos esse putes, concordia tanta est,
Tantus amor fratrum: quorum tibi Carole seruit
Vesper, at Henricum Polus & sua nunc vocat Arctos.

Atque ita iam fatale illud, terrísque regendis
Sorte datum nomen, te, CAROLE, Rege, tuóq;
Fratre, iterum magna mundum ditione tenebit.
Atq; suũ vtraq; gens proauum, proauitáq; facta,
Læta recognoscet rediuiua in vtroque nepote.
At tibi tantorum Regina puerpera Regum,
Quantos non Cybele, Latona nec ipsa creauit,
Tres Cybele fratres, fratres Latona gemellos:
Magna quidem partus, sed alendi gratia maior
Debetur. tua iam teneros à patre relictos
Sedula seruauit vigil & custodia contra
Titanum insidias, manifestáque bella gigantum.
Tu quoque iam teneris exẽpla domestica Regum
Proponẽs, adhibénsq; graues ad honesta magistros
Fecisti, vt properata suos præcederet annos
Virtus, per subitósque gradus ad summa veniret.
Omnibus indigenis mirum quod, & omnibus esset
Externis, populos quæ mouit fama remotos
Rege suo amisso sibi nuper ab indole tali
Henricum legere, atque vltrò in sua regna vocare.
Pro quo ego successu, si non tibi pectore toto
Atque tuis grater populis, non inuida lætis
Tantùm, sed videar magnorum Henrice laborum
Immemor, aßiduo quos pro me marte tulisti
Tot bellis, & tot per singula bella trophæis,
Per quæ Gallorum tollit se gloria cælo.

Sed quantò maiora tibi præconia laudum
Debeo, ad hæc tantò minor est reddenda facultas:
Virtutum sic exuperat laus magna tuarum
Vires ingenij, vires & carminis omnes.
Nam quis sufficiat digno percurrere cantu,
Quanta sit HENRICO *generosi gratia vultus?*
Quis decor, & quantæ iuuenili in corpore vires?
Quanta sit ingenij solertia? quantus in armis
Vsus? quàm fœlix pugnas euentus in omnes?
Quantáque victori clementia? sanguinis vsus
Quàm parcus? quàm firma fides in fœdera pacis?
Denique quàm nihil eximio nisi principe dignum
Aut agat, aut dicat? quæ cuncta referre modestæ
Ipso sit præsente pudor. quod nec graue cuiquam,
Inuidiæ nec sit mihi prodere: certa voluntas
Certáque cura Deûm vos hoc accire, Poloni,
Impulit HENRICI *nomen fatale* VALESI.
In quo certa fides inuersis ex elementis
Ominis efficitur nobis vobísque secundi,
LAVREVS HVIC ENSIS: *fuit & iam laureus ensis*
Sæpius hic Gallis: vobis iam restat & ipsis
Idem laureus, & sit (vt auguror) aureus olim,
Aurea qui referat vestris Rex secula terris.
Est igitur vobis quod gratuler, est quod & ipsi:
Ipsi, cui talem sua non fortuna coronam,

Sed tot clarorum Procerum ſententia prudens
Impoſuit: vobis, noſtri quibus huius alumni
Principis expertíque, & agendis rebus adulti,
Percipiendus erit maturis fructus in annis:
At deſiderium mihi ſolum triſte relictum eſt,
Quæ genui, quæq́ue eduxi tantum ad decus æui.
Sic ſeritur gnauo iam ſera ætate colono
Arbor ab alterius carpenda nepotibus olim.
Non tamen inuideo, pietas vetat: et mea damna
Solatur fructus, quem iam creſcentibus annis
Præcepi. Vos ergo illum, vos omine læto
Accipite: & longos fœlicius vſque per annos
Macti eſte HENRICO *fœlici Rege fruentes.*
Quod mecum teſtantur & hæ per feſta ſorores
Gaudia, conſenſuq́ probant fremituq́ ſecundo.
Quinetiam lætos ad publica gaudia cantus
Edere mens fuerat, niſi iam cantare paratis
Præcluſiſſet iter vocis dolor: hoc quia tanto
Principe ſit nobis hinc diſcedente carendum,
Cuius erat cunctis præſentia amabile lumen.

NYMPHA



NYMPHA ANDEGAVIS.

Ast ego Nympha mei ſemper Ducis vnica cura
Andegauis, tua quem pietas mihi Carole quondam,
Et fraternus amor præfecit, turba Sororum
Cætera cùm taceat, loquar ipſa ex omnibus vna:
Non quia ſim magis his temeraria, ſed quia lætor,
Lætor ego ante alias Ducis è ſucceſsibus amplis,
Quem video proauis Ducibus non eſſe minorem.
Nam mihi Lodoicus de ſanguine cretus eodem
Dux erat: & patriis pro finibus arma ferebat:
Cùm ſubitò læti prænuntia fama fauoris
Aduolat, ipſum vltro moderãda ad ſceptra Poloni
Acciri Imperij, fatíſque in regna vocari.
Nunc eadem fortuna Ducem de ſanguine eodem
Henricum inſequitur: nec auis noua fata nepotum
Degenerant: ſed par virtus, par gloria rerum
Geſtarum ad ſimilem proauis accerſit honorem.

Quem precor euentum Regíq; ipſiſq; Polonis
Auſpicibus tantorum operum, famæq; futuræ
Rebus ab egregijs tali ſub rege gerendis,
Inque dies magis, ínque dies Deus vſque ſecundet:
Atque nouis ſemper ſucceßibus augeat ambos.



AD GALLIAM, ODE.

FOECVNDA prolis Gallia Regiæ
Fratres habebat tres triplici manu
Regale ſceptrum ferre dignos,
Gallia ſi tria regna haberet.
Soles ſed orbis non recipit duos,
Nec præter vnum Gallia CAROLVM.
Ergo nouis quærenda ſedes
Imperijs fuerat duorum,
Ne Regna Regum deficerent genus:
Et tanta nullam materiam ſibi
Sortita virtus, otioſo
Tabida concideret veterno.
Quod res gubernans prouida Gallicas
Mens cùm benigni proſpiceret Dei:

Non

Non Galliam diuisit in tres,
Sed tria regna tribus parauit.
Primúmque Regnum CAROLVS *obtinet:*
Cui prima natu gloria maximo.
HENRICE, *nunc sceptrum secundum*
Ecce tibi venit à Polonis.
At tertium te tertia sors manet
FRANCISCE, *solus qui superest locus*
Fatis: penes ternos vt orbis
Maxima sint tria regna fratres.
Grates Deo nunc gens age Gallica:
Cuius secundo numine tu tria
Concordium per regna fratrum
Imperio potiere mundi.

IO. AVRATVS POETA REGIVS.


TE ET IVS
ETA TITI
XII
F M



CHOREA NYMPHARUM.

TALE fuit, cecinit quod Siren Gallica, carmen:
Altera nam Siren Gallica Nympha fuit.
Carmine finito nunc incipit ecce Choreas
Nympharum ad certos grex agitare modos.
Et ſua teſtatur numeroſo gaudia geſtu,
Henrico lecto quæ modò Rege, capit.
Nunc veluti totidem Reginas ire putares,
Quot Nymphas: lenta ſic grauitate decent.
Nunc veluti totidem Delphinas in orbe natantes
Ludere: tam facili mobilitate micant.
Mille breues curſus iterant & mille recurſus:
Mille fugas miſcent, mille pedúmque moras.
Nunc hærent vt apes manibus per mutua nexis,
Nunc in acumen eunt vt ſine voce grues.
Nunc aliis aliæ tranſuerſis nexibus hærent
Implicitis ſepes qualis ab arte rubis.

Nunc hãc, nunc illam, variant per plana figuram:
Descripsit plures nulla tabella notas.
Non Euclideas quæ pingit puluere metas,
Quáue fugax celeri calculus hoste perit.
Non Labyrinthæi tot erant curuamina tecti:
Non Mæandreæ sic sinuantur aquæ.
Esse putes ludum, quo Phryx gaudebat Iülus,
Dum simulat fictis prælia vera modis.
Sic nunc in frontem, nunc in latus agmina ducunt:
Sic nunc incurrunt, nunc fugiúntque leues.
Sed iam composita veluti post prælia turma
Incedunt, Regum præter & ora meant.
Dúmque meant sua quæq; ferunt Regalia dona
Aurea, quæ spectans scutula parua putes.
Et sua cuique super scuto cælata figura
Nescio quod lætum Regibus omen habet.


CATALOG.

CATALOGVS NYMPHARVM
Et Dona Prouinciarum.

NYMPHA PROVINCIAE.

I.

Prima ſed ecce venit, cui Nympha Prouincia nomen,
Inq́; manu, regio quam creat, arbor ineſt.
Arbor ineſt duplex, myrtúſque & punica malus:
Altior inter & has citria virga viret.
Inter ſe geminæ nexus per mutua frondis
Concordem Regum ſignat amicitiam.
Tertia quæ geminis ſupereminet, innuit illos
Quòd ſua victores ducet ad aſtra fides.



NYMPHA ALLO-
BROGIS.
II.

Ecce ſubit, placidam dextra quæ geſtat, oliuam
Allobrogis terræ ſplendor oliuiferæ.
Hæc, Henrice, tibi, per quem ſunt otia Gallis
Præter ſpem populis reddita, dona facit.
Conuenit auctori pacis pacalis oliua:
Munera quæ fecit, muneris auctor habet.



N. CANTABR.

NYMPHA CANTABRIS.

III.

Cantabris hanc ſequitur Balenæ ſuccina portans
Monſtra, mari regio proxima monſtrifero.
Suauis odor gemmæ ſuaues quod fundet odores
Henrico pontus prætereunte docet.



NYMPHA AQVITANICA.

IIII

Huic ab Aquitanis comes it pulcherrima terris,
Armatas acies per ſua dona ferens.
Scilicet hoc quia ſint duce Rege futura per orbem
Cuncta ſecuturis peruia militibus.



N. Armoric.

NYMPHA AR-
MORICA.

V.

Armoris inde venit, quæ conuenientia Marti
Armigero armigerum munera portat equum.
Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum:
Donat equo Martem Martia terra nouum.



N. PICT.

NYMPHA PI-
CTONIS.

VI.

Hinc examen apum fert Pictonis ecce, vetuſto
Alueo vt emigrans alueum aduſque nouum.
Nempe nouas hoc gens quæret duce bellica terras:
Et dignas ſedes huic ſua fata dabunt.



N. TVRON.

NYMPHA TVRONIS.

VII.

Hãc Turonis ſequitur Morum pro munere geſtãs
Vermiculis Morum pabula lanificis.
Serica fert viridis ſicut ſubtegmina Morus.
Sic ætas viridis ſceptra decúſque Duci.



NYMPHA LIGERIS.

VIII.

Diues Amalthea non cornu Nympha capellæ,
Nympha gerit Ligeris, ſed nucis omne genus.
Viſtulæ & hoc donum Ligeris dat amicus amico:
Dux cuius gratam Rex bibiturus aquam eſt.



N. NEVSTR.

NYMPHA NEV-
STRIA.

IX.

Quæ ſequitur validis fert vela tumentia ventis,
Et faciles optat Nympha per alta vias.
Neptunumq́ rogat terris vt grande Polonis
Depoſitum reddat cum Duce tot comites.



NYMPHA BEL-
GICA.

X.

Belgica fert densas, aptum sibi munus, aristas,
Quáque tenet spicas fert & aratra manu.
Hæc per signa monens, quò fructus vsque laborem
Excipiant, fructus vt labor excipiat.



N. SEQVAN.

NYMPHA SE-
QVANIS.

XI.

Turrita comes his it Sequanis ecce corona,
Nympha tot egregiis vrbibus vna parens.
Fraternas dicens ſeruaſti ſæpius vrbes:
Nunc vrbes ſerua Marte Poloniacas.



NYMPHA CAMPANIAE.

XII.

Proxima ſubſequitur latis Campania campis:
Inq́; manu vigilem fert ſua dona canem.
Signum quod commiſſa vigil tutabitur arua
Hoſtiles contra quaſlibet inſidias.



N. Senon.

NYMPHA SENONIS.

XIIII.

Vuifer immanis Tigris est quòd vincula palmes
Quem donum præfert Senonis ipsa manu,
Admonet vt sua sint virtuti præmia digna:
Dignáque sit vitiis pœna parata suis.



N. METIC.

NYMPHA ME-
TICA.

XIIII.

Viſtula cum charo ſociatur amica Moſella:
Nympha nouũ munus quod ſibi Metis habet.
Cui ſuper incumbens ſolido riget ære corona:
Sic ſimul inuictos monſtret vt eſſe duos.



N. LVGD.

NYMPHA LV-
GDVNIS.

XV.

Lugdunis Rhodanum fert Nympha comiſque
ferocem
Et barba: innitens pulchra ſupérque Araris,
Indicat à leni non lenia corda domari,
Et plus poſſe feris viribus obſequium.



E

NYMPHA DEL-
PHINAS.

XVI.

Nomine quo dicam quæ argenti aurique fodinas
Fert manu, & Allobrogum eſt proxima limitibus?
An quia ſedula mens mala mentis operta recludit,
Et ſuus obſcuris redditur arte nitor?




Singula

Singula iam Nymphæ sua donauere ferentes
Munera, dum Regis lumina præter eunt.
Quin etiam venit en cantare paratior vna
Nympharum Andegauis, claudat vt vna chorum.
Dulce canet quiddam: se Regia vertit ad ora:
Sed dum Nympha canit, nos tacuisse decet.

Carmen Nymphæ Andegauidis inuenies suprà, fol. B.

Omnibus affectus licet in contraria duplex
Lætitia hinc animum distrahat, inde dolor.
Lætitiæ tamen ipse dolor concessit, vt ore
Læto, Regi dent omina læta nouo.
Scilicet exemplum sibi quæque Prouincia sumit
Regina è vultu nunc CATHARINA *tuo.*
Quæ pia cùm doleas dimittere mater alumnum:
Dissimulans gemitus, fœmina fortis ouas.
Publica priuatum vicerunt gaudia luctum:
Expedit hoc multis, terra quod vna gemit.
Gallia quo caritura Duce est, hunc orbis habebit
Altera Regem pars, altera, CAROLE, *te.*
CAROLVS *alter vt est Atlas:* HENRICVS *& alter*
Sic erit Alcides, qui ferat orbis onus.


Sunt igitur tanti ſua ſunt diſpendia Gallis,
Vt Regi plaudant ad noua feſta nouo.
Plaudite vos Galli nunc Regibus atque Poloni
Fratribus: & Matri plaudite, quæ peperit.



SCENAE DESCRIPTIO.

NVNC quoque sit mihi fas scenæ describere vultum,
Quo Mons, & viridis, quo fuit Aula situ.
Aula virens trabibus solis spectabat ad ortum,
Vnde gerens Nymphas mons subiturus erat.
Hunc ceu Silenus, Satyro comitante quaterno,
Manerius, quò vult, Dædalus alter agit.
Illius ad nutus gradiens argenteus aulam
Mons lustrat, Nymphas mōstrat iensq́ suas.
Donec ad extremæ tabulatum constitit aulæ:
Regis ad occasum quatorus altus erat.
Regis Gallorum & Fratris, Regísque Poloni,
Reginæ sedes quáque vtriusque fuit.
Reginæ qua non fœcundior altera Regum,
Reginæ qua non pulchrior vlla nurus.
Regia quæ veluti Iuno Iouis ad latus hærens
Fulgebat roseis ELISABETA genis.
Proxima Principibus Gallis, mixtísque Polonis
Cesserunt: circùm nobile vulgus erat.

Mons ſtetit hîc, caneret dum Gallica Nympha: relictis
Sedibus hinc Nymphæ proſiliere ſuis.
Quas deſcendentes cochleæ verſatilis orbe
Area diſpoſitas ſex capit atque decem.
Quatuor in medio: tres angulus ipſe quaternus
Accipit: alternas ſic variántque vices.
Et chorus eſt bicolor roſeo croceóque remixtus,
Párque color nunquam iungitur ipſe pari.
Altera forma triplex fuit angulus ille choreæ:
Mutato ſpecies quo manet vna loco.
Tertius orbiculus media cruce vertitur vſque:
Et manet alternans, quo fuit antè, ſitu.
Eſt vbi ſex nymphas duplex habet orbis vtrinque,
Quos in rectum ambos nympha quaterna ligat.
Sed quis tam varias ſaltandi expreſſerit artes,
Quas Belloioius mille Choragus habet?
Quod ſolum potuit, pictis Baptiſta tabellis
Expreßit primam, cætera carmen habet.



AD LECTOREM.

EN tibi per geminas Montémque Aulámque tabellas,
Vnam de geminis tu tamen esse puta.
Finge gradi Montem, Nymphas ad plectra moueri,
Et iam spectator, nec modò lector eris.
Sed dum tantæ Aulæ tenuem spectaueris vmbrã,
Aulam te magni finge videre Iouis.







AD HENRICVM SERENISS. REGEM POLONIAE, DE EIVS IN VRBEM Parisiorum ingressu.

Regia Parisiam cùm traducenda per vrbem,
Rex Henrice foret pompa Polone tibi:
Anxia nunc pluuiis, nunc contrà læta serenis
Tota dies currus est remorata tuos.
Scilicet affectus, varium quem Gallia sensit,
Aëris in varias transiit vsque vices.
Gallia læta tuis tunc cùm successibus ibat:
Visa fauens Gallis lætior ire dies.
Gallia discessu cùm mœsta gemebat euntis,
De populi lachrymis aëris imber iit:
Hos inter dubios plausus, luctúsque peracta
Lux tenebris tristis lætitiáque nitens,
Distulit in seram spectacula Regia noctem:
Sed nox spectaclis nil nocitura fuit.
Lux, Henrice, tuo quæ tunc veniebat ab ore,
Ipsa tuis pompis sol fuit, ipsa dies.

De

DE HENRICI REGIS POLONIÆ INVICTISS. PROFECTIONE ODE ALLEGORICA.

Heroes ſumus, & Deûm
Omnes ſemidei genus:
Omnes tendimus ad polum
Noſtra Pallade freti.
Alter Tiphys, & alter hic
Author carminis Orpheus:
Hic vis Herculis altera,
Pollux, Caſtor, Iaſon.
Hoc ductore viarum, & hac
Concordi comitum fide:
Non eſt quòd timeat ratis
Concurrentia ſaxa.
Sed Triton ſibi vult quid hic,
Portans hoſpita munera,
Non argentea & aurea,
Sed donum leue glebam?
Omen, fallimur? an latet
Paruo munere maximum?
Cui ceſpes datur hic nouus,
Huic inſtant noua Regna.
En Euphemus adeſt bona

Fama

Famæ nomen & ominis,
Qui glebam capit Erricus,
Regni signa Poloni.
Gentis nulla valentior,
Qua nec viribus altera,
Nec quæ iustitiam magis
Artes & colat omnes.
Fœlix ergo ter Errice,
Sceptris aucte Polonicis:
Fœlix térque Polonia
Tali Rege potita.

FINIS.